

Fatalia appellationum sunt certa tempora, intra quæ debet inchoari et terminari causa appellationis; alias appellatio, quasi fato moritur, seu fit deserta; et (l. 2. C. de temp. in integr. rest.) sunt quadruplicia:—*interponendæ appellationis*,—*petendi et concedendi apostolos*,—*introducendæ*,—*finiendæ appellationis*.

282. Q. VIII. *Quæ sint fatalia et modus interponendæ appellationis?*

R. 1.º Fatalia interponendæ appellationis à gravamine judiciali vel extrajudiciali illato sunt 10 dies seu decendium: ita de jure novo c. 8. h. t. *auth. hodie eod. Nov. 23. c. 4.*, quibus corrigitur jus vetus, quo appellanti in causa propria concedebatur biduum, et procuratori triduum (c. 29. *biduum*, 2. q. 6. l. 1. §. 5. ff. *quand. appell. l. 6. §. fin. h. t.*) Hoc tempus contra præsentem currit à momento latæ sententiæ, et contra absentem à tempore notitiæ habitæ, et finitur ultimo momento diei decimæ. Quod si gravamen est successivum, ut injusta incarcerationio, appellari potest quandocumque, dum adhuc gravamen durat; nisi iudex pronuntiaret gravamen esse justum; tunc enim intra 10 dies ab hac interlocutoria appellandum est. Secus, si fatalia decem dierum elabantur, non est locus interponendæ appellationi.

2.º A sententia definitiva in continente, hoc est, iudice adhuc pro tribunali sedente, appellari potest viva voce, seu ut ajunt, stante pede, dicendo: *appello, provoco, vel submitto me iudicio Papæ*, aut alterius iudicis superioris (l. 2. ff. h. t.). At ex intervallo formari debet libellus appellatorius cum expressione: *quis, contra quem, à qua sententia, et ex qua causa appellet* (l. 5. §. fin. ff. et l. 6. §. 5. C. h. t.), et sic interposita appellatio actis inseritur (cap. 11. *de prob.*)—Id speciale est, quod appellans ab interlocutoria etiam in continente, tria observare debeat, scilicet: ut appellatio fiat in scripto, ut exprimatur causa specifica, ut deinde alia causa ad justificandam appellationem non afferatur (c. 1. h. t. in 6. *Clem. 5. eod.*) Multi tamen restringunt constitutionem *cit. c. 4* ad appellationem, quæ fiat ad Papam, cum aliæ viva voce fieri possint (l. 2. ff. h. t.), et nisi novæ rationes emergant, vel gravamen sit irreparabile per definitivam.

3.º In iudicio non est appellandum vagè et generaliter super omni gravamine inferendo, sed appellari potest super omni gravamine in certa causa (c. 2. 18. h. t.) Nam appellatione removeri debet gravamen præsens saltè moraliter, quale utique non est, nec prudenter timetur, si causa necdum sit proposita in iudicio. At appellatio extrajudicialis ex probabilibus causis fieri potest generalis, et consequenter, ea interposita, quiescit officium inferioris iudicis (c. 54, et *Clem. 3. h. t.*)

283. Q. IX. *Quæ sint fatalia et modus petendi, atque recipiendi apostolos?*

R. 1.º His petendis de jure novo præscribuntur 30 dies (c. 6. h. t. in 6. l. 24. C. *eod.*), quibus corrigitur jus antiquum concedens 5 dies (Can. 34. *ab eo 2. q. 6.*) Hoc autem tempus ignorantibus currit à die habitæ notitiæ de lata sententiâ; scientibus verò à die latæ sententiæ (l. 24. C. h. t.); neque iudex tempus istud prolongare potest; benè verò ex justa causa abbreviare (*Clem. 2. h. t.*) Lapsa autem termino præscripto, præsumitur appella-

tionem renuntiatum; quæ præsumptio est juris et de jure, non admitens probationem in contrarium. (*cit. l. 24. C. et Clem. 2. h. t.*), nisi pars petere non potuerit, vel per iudicem steterit, quominus acciperet apostolos. Quòd si autem iudex à quo requisitus nolit apostolos concedere, sed in causa procedat, non valet processus, et revocari debet à iudice ad quem (c. 4. h. t. in 6.) Aliquando tamen loco apostolorum traduntur appellanti acta sigillo judiciali obsignata; et hæc sufficiens ad effectum, ne fatalia petendi apostolos censeantur elapsa (c. 2. C. *de edendo*)—2.º Apostoli petendi sunt loco et tempore congruo, non in templo vel tempore prandii; et insuper petendi sunt *instanter*, et consultius in scripto, ut facilius probetur eos petitos fuisse (c. 6. h. t. in 6.)

284. Q. X. *Quæ sint fatalia introducendæ appellationis, seu tempus intra quod apostoli præsentandi sint iudici ad quem?*

R. Esse arbitraria iudici à quo, cujus est, consideratis circumstantiis præfigere terminum intra quem apostoli præsententur (c. 4. h. t.) ibi: *Tu ei diem assignes*. Et c. 33. *eod. ibi: appellanti ad prosecutionem appellationis terminus congruus præfigatur*. Atque ita fatalia ista magis sunt hominis, quàm legis (l. 2. et *fin. C. de temp. appell.*); de jure camerali sunt sex menses; pag. 2. tit. 3. §. 2. 5.

285. Q. XI. *Quæ sint fatalia finiendæ appellationis?*

R. Unus annus, vel ex justa causa biennium; intra quod tempus, si causa appellationis non fuerit finita, censetur deserta (c. 5. 8. et *Clem. 3. h. t. auth. ei qui. et l. fin. §. 4. C. de temp. appell.*) Et hoc tempus currit à die interpositæ appellationis in iudicio; extra verò à die illati gravaminis (*Clem. 3. h. t.*), quæ dispositio servatur etiam in foro civili, teste Alex. de Nevo; licèt de jure scripto civili tempus annale non currat, nisi post duos menses à die interpositæ appellationis (*Nov. 82. cap. 6.*) Causæ concedendi biennium appellationi prosequendæ, sunt: adversa valetudo, casus et impediendi fortuita, obices ab adversario positi etc. Hodie in majoribus tribunalibus tempus finiendæ appellationis est arbitrarium; quale etiam fieri potest ex consensu appellantis et appellati, ut colligitur ex *Clem. 4. h. t.*, cum tempus istud favore partium præfixum sit.

286. Q. XII. *Quid agendum iudici, ad quem appellatio delata est?*

R. 1.º Cognoscit primò, an fuerit justa causa appellandi (c. 35. h. t.) Si ita, pronuntiabit *benè appellatum et malè iudicatum* fuisse; si non, è contrario pronuntiabit *malè appellatum et benè iudicatum*. Priori casu causam appellationis ad se devolutam cognoscet, et per definitivam finem ei imponet (l. 6. C. h. t.) Posteriori verò casu, sententiam iudicis à quo confirmabit; et si appellatum est ab interlocutoria, appellante in expensas condemnato, causam ad priorem iudicem remittet (c. 38. 59. h. t. c. 3. in *fin. eod. in 6.*); licèt iure novo *Trid. sess. 24. c. 20. de ref.* non admittantur appellationes ab interlocutoria, nisi vim definitivæ habeat, vel contineat gravamen irreparabile.—2.º Iudex ad quem onus probandi imponit appellanti, partim appellato. Nam appellans probare debet legitimum tempus et causam justam appellandi; merita verò causæ is ostendet, qui ea protulit in prima instantia.—3.º Si appellans ab Episcopo innodatus est

censura, iudex ad quem non revocabit illam, donec constet legitime esse appellatum (c. 3. §. 9. h. t. in 6.), uti nec citius prohibebit iudici à quo processum in causa (ibid. §. quod si.)—4.º Si pars appellans à definitiva, non appellavit ab interlocutoria, quæ principali præjudicat, iudex ad quem revocabit interlocutoriam, cum aliter causa principalis expediri nequeat.

287. Q. XIII. An appellans à sententia iudicis ad quem, appellare possit?

R. Quælibet pars bis in eadem causa appellare potest, non autem ter vel ultra (c. 65. h. t. l. un. C. ne lic. in an. caus.) Ac proinde qui à sententia definitiva iudicis à quo appellavit, adhuc semel à sententia definitiva iudicis appellationis appellare poterit, sed non ultra, ne appellationes fiant infinitæ. Tum quia pro tribus sententiis conformibus stat maxima præsumptio iustitiæ. Quod si sententia in secunda appellatione reformata fuit, parti adversæ in ea victæ conceditur duplex appellatio, ut servetur æqualitas inter litigantes.

288. Q. XIV. Qui sint effectus appellationis?

R. Tres præcipui:—1.º Effectus suspensivus, dum per appellationem suspenditur sententia iudicis à quo, ejusque jurisdictionis in hac causa, ut neque ad executionem sententiæ, neque ad aliud circa hanc causam innovandum procedere possit. Et hunc effectum suspensivum regulariter parit appellatio (c. 39. h. t. c. 10. eod. in 6. l. un. ff.: nihil innovari appellatione interposita), exceptis casibus infra dicendis.—2.º Effectus devolutivus, dum causa per appellationem cum omnibus accessoriis devolvitur à iudice inferiori ad superiorem, ita ut super his omnibus iudicare possit, puta non solum de iustitia appellationis, sed etiam de meritis causæ. Et hunc effectum devolutivum æquè regulariter parit appellatio (c. 55. 59. h. t. et c. 3. §. si vero eod. in 6.)—3.º Remedium attentati seu attentatorum, quo revocantur ea omnia quæ, pendente appellatione, innovata vel post sententiam intra decendum, attentata sunt (c. 7. pr. h. t.) Nam similia non ponuntur de jure, sed de facto, et ideo bene dicuntur attentata.

289. Q. XV. In quibus casibus appellatio non pariat effectum suspensivum?

R. 1.º In censuris ecclesiasticis absolute et ante appellationem latis (c. 37. 53. h. t.) Nam hæ statim producant suum effectum, et ligant animam; adeoque non suspenduntur, sed appellatio ab his interposita parit solum effectum devolutivum, ut iudex superior cognoscat de iustitia censuræ. At si censura non est absolute lata, sed conditionata aut comminatorie; et appellatio ante eventum conditionis delata est ad superiorem, suspenditur executio censuræ (c. 40. h. t.) Nam per jurisdictionem superioris impeditur prior sententia à producendo suo effectu. Idem dic in casu, quo censura fertur sub conditione appellationis: v. g. excommunico te, si appellaveris: nam talis censura non incurritur ante appellationem, cum conditio non existat; neque post appellationem, quia hac posita, statim suspenditur iudicium et sententia iudicis à quo. Retrotractio autem hic non habet locum.—2.º In causis, in quibus negatur appellatio, vel proceditur remota

appellatione, ut in causa dotis, alimentorum futurorum, mercedum, et quæ de jure paratam habent executionem; ut etiam in iis, quæ tendunt ad favorem et faciliorem causæ expeditionem (c. 17. h. t. Barbos. in c. 59. h. t. etc.)—3.º In provocacione à sententia invalida; nam talis sententia, cum sit nulla, de jure non suspenditur, sed causa solum devolvitur ad iudicem superiorem, ut de meritis causæ cognoscat.

290. Q. XVI. An jurisdictionis iudicis à quo appellatione suspendatur, non tantum in illa causa, in qua appellatum est, sed etiam in aliis causis civilibus aut criminalibus?

R. Negative, ex c. 22. et 24. h. t. Nam appellans quoad ceteras causas, in quibus non est appellatum, manet subjectus iudici ordinario (c. 17. h. t.); ergo. Neque sola appellatio est causa sufficiens recusandi iudicem tanquam suspectum, cum per appellationem à jure concessam non censeatur iudex offendi (l. 20. h. t.), nisi concurrant alia adminicula ad causam recusatationis sufficientia: ut manifesta iniquitas sententiæ, odium, inimicitia etc. Quo sensu procedit sententia DD. asserentium, iudicem à quo recusari posse ob appellationem interpositam. Quia autem grave est simul eodem tempore in pluribus iudiciis litigare, appellans uti potest exceptione, ne durante instantia appellationis alibi conveniatur, nisi commodè utriusque iudicio satisfacere possit.

291. Q. XVII. An facta appellatione super articulo incidente, tota causa principalis devolvatur ad iudicem appellationis?

R. Affirmative, ex c. 59 in fin. h. t.; ibi: alioquin ipse procedet, dummodo pronuntietur bene appellatum et male iudicatum fuisse. Ratio est, partim ne continentia causarum dividantur, et litigantes laboribus et expensis fatigentur; partim quia articulus appellationis, licet secundum se sit accessorius in prima instantia, tamen in instantia secunda principem locum tenet, et ita trahit ad se causam principalem, quasi accessoriam (arg. c. 55. h. t.); ergo. Atque id procedit etiam in eo articulo, sine quo alias causa principalis terminari posset (c. 10. h. t. in 6.) Excipe, nisi iudex à quo revocaverit, vel paratus sit revocare sententiam interlocutoriam super eo articulo, vel removere gravamen; tunc enim in causa principali rectè procedet (cit. c. 10. h. t. in 6.) Hæc doctrina procedit de jure veteri Decretalium, quo admittebatur appellatio ab interlocutoria; sed jure moderno non habet locum, nisi appelletur ab interlocutoria vim definitive habente, vel gravamen irreparabile continente.—Nec obstat c. 7 de except.; nam in eo ponitur exceptio jurisdictionis exclusiva, qua probata, ideo iudex appellationis non cognoscit de negotio principali, quia nulla jurisdictionis ad eum est devoluta; cum iudex à quo super hoc negotio nullam jurisdictionem habuerit.

292. Q. XVIII. Quid juris circa attentata, seu innovata post appellationem?

R. 1.º Attentata post definitivam, in quacumque parte iudicii ante conclusionem in causa, tanquam nulla, de facto revocari possunt ad instantiam partis; modo hæc probet definitivam fuisse latam, ab hac jure appellatum; et interim aliquid fuisse attentatum (c. 7. §. 4. h. t. in 6.)

Nam hoc extraordinarium remedium attentatorum conceditur ad puniendam temeritatem attentantium; estque pinguius interdicto *unde vi*, quia in illo, citata parte, de plano proceditur; neque agenti opponi potest exceptio excommunicationis, vel defectus tituli, sed sufficit, quod sit aliquid innovatum.—2.º Si pars appellans nolit uti hoc remedio extraordinario attentatorum, potest uti remedio ordinario *injustitiæ*; et tunc attentata non revocantur ante omnia, sed discutitur causa principalis; et si favorabilis sententia feratur pro appellante, tunc simul in ea revocantur priora attentata: quo sensu explicatur *c. 7 de testib.*: ibi: *nihilominus iudices, et l. 41. ff. de appell.*—3.º Attentata post appellationem ab interlocutoria, vel gravamine, non revocantur ante omnia, sed postquam justificata est causa appellationis; nisi post monitionem à Superiore factam aliqua attentata fuissent (*c. 7. §. illa verò h. t. in 6.*) Nam appellatione ab interlocutoria non suspenditur tota jurisdictio iudicis à quo, sicut appellatione à definitiva, cum iudex interlocutoriam revocare, et gravamen remove possit (*c. 60. h. t.*)—4.º Appellatione extrajudiciali interposita, ea solum revocantur, quæ sunt directè contra appellationem (*c. 19 de elect.*), nec tunc necessaria est intimatio parti aut iudici facienda. Secus hoc se habet in appellatione judiciali, ubi talis intimatio requiritur, et quidquid attentatum est, etsi non directè contra appellationem, revocari potest (*c. 7. h. t. in 6.*)—5.º Si pars appellans aliquid attentet, quod non est contra appellationem, attentatum revocatur; si verò attentet aliquid contra appellationem, privatur favore appellationis, cum in propria causa jus sibi dicat; et tunc plerumque sententia prior transit in rem judicatam, ut iudex à quo possit ad executionem procedere (*c. 3. h. t.*)—6.º Iudex à quo citra vitium attentati potest ea omnia, quæ juvant appellationem: v. g. præfigere terminum appellanti, prohibere ne quid partes attentent, excommunicationem ferre, si pendente appellatione, matrimonium contrahatur etc.; iudex verò *ad quem*, sicut cognoscit causam, ita ipse solus revocat attentata; et ubi opus est, iudicem aut partem attentantem in expensis condemnat appellanti

De recusationibus, et relationibus

293 *Recusatio* est: iudicis suspecti declinatio, ex probata suspicionis causa, concessa litiganti. Convenit cum appellatione, quod per utramque recedatur à jurisdictione et foro iudicis. Differt autem in multis: nam appellatio fit à iudice gravante ad Superiorem, et regulariter post sententiam; econtrà, recusatio fit sub initium ante litem contestatam, nisi post hanc causa recusandi emergat, à iudice etiam non gravante, neque fit ad Superiorem; et licet à vicario generali non possit appellari ad Episcopum, tamen ille coràm isto recusari potest (*c. 4. de off. deleg.*)

Relatio est: actus iudicis inferioris de jure in causa ardua dubitantis, et propterea totam causam remittentis ad Principem ab eò decidendam. Convenit cum appellatione, quia utraque fit ad Superiorem; differt verò,

quia appellatio fit à partibus et post sententiam; relatio autem fit à iudice inferiori ad Principem et ante sententiam. Differt etiam à *consultatione*; nam hæc dirigitur ad Principem, ut respondeat super dubio juris, non verò ut ipsam causam definiat, licet iudex inferior in sententiando sequatur responsum Principis; econtrà relatio totam causam transfert ad Principem, ut is eam decimat.

294. Q. I. *Quid juris circa recusationem iudicis?*

R. 1.º Hæc, cum sit exceptio dilatoria, regulariter proponenda est ante litem contestatam, intra viginti dies à libello oblato (*c. 20 de sent. et re jud. l. 16. C. de jud.*); non viva voce, sed in libello recusatorio, expressa causa specifica suspicionis et recusationis (*c. 44. in fin. et c. 61. h. t. l. 9. ff. de liber. caus.*), ibi: *nisi justam causam afferat, quare ad eum mitti non debeat*: Illa autem justa causa reputatur, quam jus pro tali habet, uti est: inimicitia (*l. 9. pr. ff. de liber. caus.*); si iudex cum recusante litem habeat, minas, injuriam, aut vindictam ei comminetur, signa benevolentiae ei deneget etc.; specialis affectio cum parte altera propter consanguinitatem, affinitatem, familiaritatem (*c. 4. ut lit. non cont. c. 47. 25. 35. de off. Deleg. l. 5. pr. de injur.*); specialis affectio erga causam: ut si iudex similem causam habeat, vel ex ea commodum speret, vel si in tali causa egit procuratorem aut advocatum.—2.º Ex his causis recusari potest non tantum delegatus etiam Principis, sed et iudex ordinarius: ita certum est de jure Can. *c. 41. 61. h. t. c. 10 de for. comp.*, et probabilius etiam de jure civ. *l. 9. pr. ff. de liber. caus.*—Nec obstat *l. 16 et fin. C. de judic. et Auth. si verò eod.* Nam leges istæ asserentes delegatum Principis recusari posse, per hoc non excludunt recusationem iudicis ordinarii, cum iste non minus possit esse suspectus, quam delegatus. Cit. *Auth.* dicens, ordinario adjungendum esse Episcopum, vel alium virum bonum, tantum consilium continet, nec usu recepta est; Bald. Covar. et alii. Imò et integrum collegium seu senatus iudicum absolute recusari potest; licet non tam facile, cum vix fieri possit, ut omnes sint suspecti, non tamen summus Princeps, in quo majestas omne suspicionis vitium et periculum purgat.—3.º Causa dubia suspicionis cognoscenda et decidenda est per duos vel tres arbitros communiter à partibus electos, qui auditis testibus et aliis necessariis, si pronuntiaverint non esse justam causam suspicionis et recusationis, tunc iudex perseverabit in causa principali; si verò pronuntiaverint, justam esse causam recusationis, iudex de consensu recusantis causam demandabit alteri, vel eam remittet ad Superiorem (*c. 41. §. 3. et c. 61. h. t.*) Vide utiliter *c. 4. et 5. de off. deleg. in 6.*—4.º Effectus recusationis justæ est suspensio jurisdictionis iudicis in hac causa; aliàs quod attentatum fuerit revocari debet per jura citt. Probabilius autem videtur acta iudicis recusati ante electionem arbitratorum non esse ipso jure nulla, ut tenent Innoc., Gonz., Schmalz. et alii contra Mysing. Gail. Zoes. Nam *c. 27. in fin. de off. deleg.*, ea solum acta dicuntur irrita, quæ facta sunt post appellationem interpositam à delegato non admittente causam recusationis. Et ex *c. 61. h. t.* colligitur, tunc primum suspendi jurisdictionem recusati, dum arbitri electi sunt ad discutendum articulum recusationis. Ra-

tio est, quia sola objectio suspicionis à parte facta non videtur sufficiens ad hoc, ut statim suspendat jurisdictionem iudicis. Ex his solvitur arg. ex c. 4. h. t. c. 41. §. 3. h. t. can. 16. quoties 2. q. 6. c. 5. de off. deleg. in 6.

Ex Const. Bened. XIV. Romanæ Curie (21. Dec. 1744.) qua confirmantur decreta aliàs edita (10 Jan. 1742.) de iudicum recusationibus proditione Ecclesiastica, hi recusari non possunt tanquam suspecti.—I. In causis exequutivis depositi et futurorum alimentorum.—II. In causis designatis per decreta à Congr. Reformationis tribunalium urbis (17. Apr. 1731.), videlicet, pro schedulis, vulgò *pagherò per altri tanti*, litteris cambii jam acceptatis, mercede, pensionibus domorum et solutione Canonum.—III. In causis non excedentibus valorem scutorum viginti quinque. In aliis verò quibuscumque causis tam exequutivis, quam ordinariis, et in quacumque instantia (exceptis duntaxat causis commissariis) unica permittitur recusatio iudicis, absque allegatione causæ suspicionis intra tres dies, numerandos à die reproductionis monitorii, vel citationis ad dicendum contra iura. In reliquis recusationibus servandum est jus commune; citationesque quoad superiores recusationes impunè sperni possunt, nisi in ipsis certa et justa causa exprimat.

295. Q. II. *Quid juris circa relationem?*

R. Hæc faciendâ est tantum in causa ardua et in dubio juris, non facti. Nam Principis non est facta declarare, sed iura (l. 12. C. de LL.) Effectus hujus relationis est, quod in ea causa suspendatur iudicis referentis jurisdictionis, et causa per Principem vel ejus successorem decidenda sit, (c. 5. de off. deleg. l. 13. C. h. t.) Hodie relationes istæ ferè exoleverunt, et in locum illarum subintravit recursus ad JCtos. et Academiâs, et donec ab his respondeatur, iudex non solet in causa procedere. Vall. etc.

TITULUS XXIX.

DE CLERICIS PEREGRINANTIBUS.

296. In h. t. per se agitur de appellatione reali, quæ arrepto itinere, instituitur ad S. Sedem. Et quamvis rubrica ista concepta sit de Clerico, tamen in textu favor communis clericis et laicis ad limina Apostolorum, vel ex alia causa ad S. Sedem peregrinantibus conceditur, quod scilicet pendente peregrinatione, iudex nihil innovare valeat, et insuper peregrinus cum rebus suis constituatur sub protectione Apostolica securus. Præterea in casu 9 et 10 Bullæ Cœnæ, excommunicantur omnes, qui romipetis, et aliis ad Curiam Romanam accedentibus, vel ibi commorantibus, vel inde recedentibus, nocumentum afferunt.

297. Q. *Quando peregrinatio ad S. Sedem vim appellationis habeat?*

R. Si hæc concurrant:—1.º Ut iter assumatur intra decem dies à sententia lata vel gravamine illato; et iter hoc iudici vel parti intimetur, li-

cet apostoli non petantur; nam talis ipso facto appellat, iterque est ei loco apostolorum (c. 52. de appell.)—2.º Ut iter hoc instituat ante citationem; nam si quis citatione præventus est, tenetur comparere coram iudice, et is in causa procedere valet (c. 9. de appell.)—3.º Ut iter fiat ante notitiam rescripti Apostolici ab adversario impetrati; secus sciendo contra se impetratum rescriptum dolo et malitia se itineri committeret (c. 15. de appell.)

TITULUS XXX.

DE CONFIRMATIONE UTILI, VEL INUTILI,

298. Nota I. In hoc titulo directè agi, quo modo sententia confirmetur à Superiore, utiliter vel inutiliter; et propter affinitatem doctrinæ etiam hic tractari de confirmatione privilegiorum, statutorum, instrumentorum, officiorum etc. Est autem confirmatio: juris ante quæsiti corroboratio per Superiorem facta. Dicitur 1.º *Juris quæsiti*, nam confirmatio debet præsupponere id quod confirmat; aliàs, si reipsâ non supponit jus quæsitum, non tam est confirmatio, quam nova collatio; licet consueverit dici confirmatio etiam tunc, dum jus nulliter et de facto est quæsitum. Dicitur 2.º *per Superiorem*, quia confirmatio est actus imperii, adeo que ab inferiori dari nequit; sed confirmationes inferiorum aut parium dicendæ sunt potius quædam approbationes.

Nota II. Confirmationem aliam esse *utilem*, aliam *inutilem*. *Utilis* est, quæ de jure valet, cui nec iudex inferior contravenire, nec de ea judicare potest (c. 1. 2. h. t.) *Inutilis* est, quæ de jure non valet: ut si ob vel subreptitiè fuit impetrata (c. 3. 5. h. t. c. 20. de rescript.)—Confirmatio alia est in *forma communi*, seu simplex et ordinaria, qua Superior confirmat actum ab inferioribus gestum in eo statu in quo prius fuerat. Nam confirmatio in forma communi non tribuit jus novum aut valorem actui, ut ex invalido faciat validum (c. 4. h. t. c. 5. de concess. præb.); neque tamen electo dat facultatem administrandi. Alia est in *forma speciali*, seu ex *certa scientia*, qua superior præmissa plena cognitione, confirmat actum ut omnino valeat, suumque jus producat, licet forsitan antea invalidus fuerit (c. 1. de transact.); nam confirmatio ex certa scientia, non est nuda confirmatio, sed potius nova concessio, seu juris novi collatio.

299. Q. I. *An iudex inferior absque speciali mandato directè judicare possit super actu à Sede Apostolica confirmato?*

R. 1. Negativè, sive confirmatio facta sit in forma communi, sive speciali. Nam id generaliter negatur c. 1. 2. h. t.: tum quia Papa per confirmationem apponens manum actui, censetur illum subtrahere jurisdictioni inferioris, et in suam protectionem assumere: tum quia ea, quæ à